



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

clxiii [i.e. viii]. Plura corpa quanta naturaliter existere nequeunt in eodem loco: supernaturaliter possunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

enim indivisibilis semper tota mutatur, quoties subjectum ejus recedit ab aliqua parte spatii ante occupatâ) non verò per aliam.

VIII. Duo corpora quantitativè extensâ (contrarium est de rebus aliis materialibus, formâ V. G. materiali substantiali, formis accidentalibus, albedine, dulcedine &c. quæ cum materia & invicem existunt in eodem loco) naturaliter existere non possunt in eodem loco, ut patet experientiâ. Ratio hujus à priori desumenda est à natura quantitatis, quæ etsi activè non expellat aliud corpus quântum ex eodem secum loco, exigit tamen, ut aliud corpus non sit secum in eodem loco, sicut forma una substântialis cum altera incõpossibilis illius exigit expulsionem ex subjecto. Potest tamen id fieri supernaturaliter; cum actualis extensio quantitativa & impenetratio non sit de essentia quantitatis, aut ejus effectus formalis primarius (quæ & qui est exigentia hujus impenetrationis) sed tantum secundarius, & connaturalis physica ejus proprietas, ab ea separabilis. Sic olim corpus Christi penetratum fuit cum januis clausis. Sic de facto, cum Christi corpus totum indivisibiliter sit in qualibet hostiæ parte,
ejus

ejus partes necessariò sunt penetratæ in eodem loco ; Ex duobus tamen corporibus miraculosè penetratis, alterum non poterit se naturaliter movere , aliàs pars non penetrata cum alia, naturaliter illam penetraret, V.G. pectus caput, dum per illam transiret.

IX. Potest quoq; divinitus idem corpus esse simul in pluribus locis adæquatis (in pluribus enim locis inadæquatis naturaliter esse posse rē eandē , patet in anima rationali, quæ simul tota est in pede, & tota in capite) circumscriptivè. Potest enim idem corpus esse in uno loco circumscriptivè , uti corpus Christi est in cælis, & simul in locis aliis definitivè, qualiter corpus Christi est in Eucharistia ; ergo faciliùs poterit esse simul in pluribus locis circumscriptivè ; cùm minùs repugnet, poni in eodem subjecto duplicem formam naturalem, quales sunt duo calores respectu ignis, duæ ubicationes circumscriptivæ respectu corporis , quàm unã naturalem, & alteram non talem, qualis est ubicatio definitiva respectu corporis. Præterea circumscribi corpus à loco, est ita esse in loco, ut totum corpus toti spatio, & partes ejus partibus spatii correspondeant , & est ita ambiri seu claudi